

Ann. VI.

Num. XX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNĄ", Apud BURNS AND OATES

VARSIAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSIAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie,

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK CINCINNATI

52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

- | | |
|---|--------------------|
| PARIES DUM PROXIMUS ARDET... | D. Lascaris. |
| DE LINGUIS PRISCIS RECENTIBUSQUE | H. Courvoisier. |
| DE LATINA ELOQUENTIA IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI | Subalpinus. |
| HORAE SUBSECIVAE. Simia felis ungue castaneas ab igne extrahit. | I. M. Solari S. P. |
| DE TELEPHONO EIUSQUE INVENTORE | A. Costaggini. |
| SUBURBANAe BURGHESIORUM DELICIAE | G. P. |
| DE MUSICO GENERE QUOD « ORATORIUM » NUNCUPATUR | Hersilus. |
| SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS. De recta pronunciatione latinae
linguae dialogus | I. Lipsius. |
| DIARIUM VATICANUM | Actuarius. |
| ANNALES | Propoplicola. |
| AENIGMATA | Fr. Palata. |
| SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DIVINA PROVIDENTIA PII PAPAE X EPISTOLA
ENCYCLICA AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APO-
STOLICA SEDE HABENTES. | |

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCXII

SOCIETAS LATIALIS EDITRIX

(ROMAE, Via Tomacelli, 15),

tria volumina vulgavit novissimae collectionis, quam inseripsit:

EXCELLENTISSIMI POETAE IUVENIBUS EXPOSITI.

Quae quidem volumina — **ILIAS** — **ODYSSEA** — **AENEIS** veneunt singillatim lib. 2; (pro commentarii *Minerva* sociis, lib. 1,50).

Satis est probatum rationem optimam litterariorum opus explanandi — sive poema sit, sive drama —, viam facillimam ut eius artificio plane intellegatur, in narratione positam; ab eo vero factam, qui plane, ex omnibus partibus universaque puleritudine opus idem perceptum, totum referat. Ita narrator praeclarorum opus exponens, una commentatur, illustrat; iuvenis autem qui legit — neque iuvenis solum! — operis formam omnino claram ac definitam sibi fingit, atque aptissimum apparatum ad archetypum deinde gustandum. Quamquam *quot* ii sunt qui primigenia possint delibare?... Non est igitur dubium quin iavenes pariter et culti viri ex his narrationibus oblectamentum simul atque utilitatem percepturi sint, prout apud Anglos factum iam vidimus de narrationibus ex Shakespeare, quas Carolus Lamb concinnavit. Adde volumina nostra omnia — partem propriam « Bibliothecae Commentarii *Minerva* » constituentia — pluribus, iisque pulcherrimis figuris esse ditata; quin imo *Aeneidem* celeberrimis Pinelli artificis immaginibus exornari.

Eadem **Societas Latialis Editrix** nuperrime veno posuit

CHARTULAS DIRIBITORIAS VERGILIANAS

ad amussim reddentes tabulas quas Pinellius, ineunte saeculo XIX, ad *Aeneidem* illustrandam descripsit.

Chartulae hae, praeter quod artis specimen exquisitissimum constituunt, mirabile eruditis viris, discipulis, praceptoribus offerunt subsidium, ut magni poematis praecepia in mentem revocent magisque adfigant.

Series quinquaginta et unius chartularum, quas elegans theca apposite fabrefacta custodit, venit lib. 3; chartula quaeque lib. 0,10.

Cuncta requirantur a

SOCIETATE LATIALI EDITRICE

(Romae, Via Tomacelli, 15).

SOCII MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

PARIES DU

Qui pericula
rone auctor
hi iure laudan
tentia est, dign
tot iam inde a
stram iuris tun
cesque et lum
mediocrem
puli mihi vide
probam domina
liares, vitas, fo
suas et sorores e
ritia et petulan
ceat, per arma,
que bellorum,
potius tueri con
et sub oculis ill
nemo in alienos
capitales imimic
sacrilegii metu
homine dignitas
militudine, et fe
Deo, quem patre
ethnici, sapientie
larunt; idecirco c
nefandum quodd
ausu, quasi telo c
omnium et singu
conservatorem pe

At si hae sunt
vis iniuriant res
in iis, qui, ut op
iuria vindicarent
omnia pericula
Numquid in inv
potius, quam al
Romana memorie
illius esse putent
puli vel illius m
tium, sed lux totius
Numinis quodam
neris una mater
ut sociis, ut affi
praesto esset, for
magnanimitate, et
prosequuta est, ex
exitabantur oppo
ingruentibusque p
temque rempublica
rent, denique tri

(1) In mentem socii
amplissimam scriptori
dummodo ne suprema

(2) CICERO, *Pro Milt.*

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PREIUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.PARIES DUM PROXIMUS ARDET...⁽¹⁾

Qui periculose potius facere malunt, Cicerone auctore utor, quam turpiter perpeti (2), hi iure laudantur. Digna quidem Tullio sententia est, dignaque populi Romani voto, a quo tot iam inde a saeculis in aetatem usque nostram iuris tum privati, tum publici luges, fasesque et lumina devenerunt. Propterea non mediocrem... et merere laudem ii populi mihi videntur, qui in hostilem et improbam dominationem redacti, qua res familiares, vitas, fortunasque, liberos, coniugesque suas et sorores et matres ab opprimentium avaritia et petulantia integras conservare non liqueat, per arma, per ignes, per acuta quaeque bellorum, per discrimina innumerabilia potius tueri conentur, quam in conspectu suo, et sub oculis illa cernere in suos patrata, quae nemo in alienos, in extraneos, immo vel in capitales inimicos non sine quodam horrore et sacrilegi metu facta reseiret. Siqua enim in homine dignitas est, a quadam haec oritur similitudine, et fere dicam consanguinitate cum Deo, quem patrem regemque hominum vel ipsi ethnici, sapientiores qui essent ceteris, appellarent; idecireo qui abutitur humano quovis, nefandum quoddam scelus adstruit sacrilego ausu, quasi telo quodam, Deum ipsum gentium omnium et singularum auctorem, altorem et conservatorem perstringens.



At si hae sunt laudes apud eos, qui ope quavis iniquitati resistunt, quid non laudandum in iis, qui, ut oppressos defendenter et ab iniuria vindicarent, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis parvi esse duxerunt? Numquid in invidiam concedimus, si nostra potius, quam aliena quaeramus? Atqui dum Romana memoramus, ea nec illius gentis vel illius esse putentur; non enim Roma huius populi vel illius mater est, sed arx omnium gentium, sed lux totius orbis terrarum, sed instinctu Numinis quodam, vel ab exordio, humani generis una mater atque magistra. Quae quidem ut sociis, ut affictis, ut invocantibus opem praesto esset, formidabilia in bella sese intulit; magnanimitate, constantia, virtute admirabili prosequuta est, et, Providentia certe divina, excitabantur opportune in ea viri, qui a summis ingruentibusque periculis periclitantem nutantemque rempublicam liberarent, victoriis augerent, denique triumphis et fama decorarent.

(1) In mentem sociorum revocamus de rebus civilibus nos amplissimam scriptoribus libertatem disceptandi relinquere, dummodo ne suprema iustitiae iura laedantur, — v. u.

(2) CICER., *Pro Milone*.

semipinternis. Ita, ut Campanos sibi supplices a Samnitium oppressione erueret, bellum quinquaginta fere annorum adorta est; ut Messanis auxilio esset, giganthaea illa Punica certamina adivit, saecula per bina proveeta; ut socios Aeduos defenderet, Helveticum et Germanicum duellum initivit.

Sed « iustitia elevat gentem! ». Ad molem sustentandam et cladum et pugnarum immatum datū sunt Duillii, dati Fabii Maximi, dati Marcelli, dati Scipiones, et datus Caesar, prout antea pro Clusinis roganti et facienti, et Brenni contra semetipsam provocanti arma et faces, datus Camillus fuit, dati Manlii, quibus factum est ne unus quidem superesset Gallis, qui de incensa a se Urbe gloriaretur.

Neque novum hoc Romae fuit, cui sicut initio divinum quoddam iuris aeterni dictamen affabatur mirifice, postea per adversa pariter a secunda regebat. Quapropter Romani, ubi ingruentia sibi pericula virtute propulerant sua, in quibus pauci ex amicis auxilio erant, — nam ceteri metu perculti a periculis aberant —, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis, quam accipiundis, beneficiis amicitias parabant. His artibus romana res adeo crevit, ut « orbem terrarum pene universum possederit in consilio et patientia » (1). Undenam hoc? Quia patribus populoque Quiritium, Romanorumque animo insidebat illa sententia, cui hodie ferme facti sumus extranei; — adeo sublapsa in peius sunt tempora, et inversi sunt mores! —: « Unicunque mandavit Deus de proximo suo » (2). Porro eequid urbs nisi quaedam familia? Eequid civitates, nationes, gentes nisi familia? Eequid omne denique humanum genus, nisi familia quaedam et ipsum, cui data terra ad arandum, mare ad pisandum et navigandum, caelum ad suspiciendum et invocabandum, cuius pater Deus est omnium rerum dispensator et dominus, instar cuiusdam egregii Patriarchae? Numquid putas, si frater alius coram fuisset quando Abel a Cain occisus est, et fratricidam facientem placidus conspexisset, Deum postea etiam ab illo non petiturum: « Ubi est frater tuus Abel? ». Eadem nobis ratio est, eadem et causa, ius idem, debitum inter gentes et officium idem. Quoties gens, fas omne abrumpens, in aliam irruit, Caini scelus instaurat, et sanguis interfectorum clamat voce magna ad Deum adversus interficientes.



Anne tantum adversus eos? Minime; sed etiam adversus omnes et singulos, qui scelesto et sce-

(1) *Macab.*, c. VIII.

(2) *Ecel.*, c. XVII.

leri, quum patrabatur, acquieverunt, quamvis, quominus patraretur, possent vel voce impedire. Non enim tantummodo manifestari oportet nos omnes ante tribunal Christi, ut reddamus rationem de malis, quae fecimus, sed etiam de bonis, quae omisimus, et de malis quibus acquievimus, iuxta illud « vae,, prophetae adversus eos, « qui consuunt pulvillo sub omni capite, et sternunt sub omni cubito manus » (1). Eequid ergo de Armenorum excidiis, eequid de Macedonicis exterminiis summo iudici responsabunt, ubi, ut Hieronymus ait, « iudicatu Domino lugubre mundus immugiet, et potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt? ». Praesertim cum hodie sit res non de bello aliquo ineundo, non de classibus ornandis et instruendis, non de copiis comparandis; sed sufficiunt epistolae consentientium in iura gentium et regum, et imperatorum, quibus una coniunctis, — tanta enim Europa est! — nemo audebit resistere. Non agitur de regionibus occupandis, non de provinciis invadendis, magno cum periculo dissensionis et bellorum postea in dividendis; sed agitur de populis, quibus ius quae-ritur ut ita esse liceat in pace, sicuti ceterae gentes in pace sunt honesta, libertate fruentes, et sanctis utentes legibus suorum more maiorum, more liberarum gentium finitimarum. Qui olim quasi servi affigebantur solo excelendo, ab omni civili iure, ab omni publico officio exclusi, capite diminuti, voces, manus, arma ceperunt, Graeci, Rumi, Serbii, Bulgari, Cretenses, et Europaeis populis annuentibus, opem dantibus, libertatem suam fere nullo Europae impedio, certe magna cum pace adepti sunt, ius Macedonibus constituerunt et constituant eadem assequendi, quae olim, quae nuperrime illi sunt assequunti, et feliciter obtinent. Cur igitur, quae illis iuvandis fuerunt prospere ausa, nunc rursus non redeunt, nec saltem tentantur? Numquid Europa consenuit,

et nunc res omnes timide gelideque ministrat, instar Horatiani senis?



Aut ego demens insanio, aut idem metus, qui nunc retinet omnes, ne quis e potentibus ferro audeat et minis pro Macedonibus, retineret singulos, si quis potens armis repentinus, ut limites tot cladibus, sceleribus, rapinis, excidiis, incendiis, subversionibus imponeret, intercederet. Hie profecto maximam apud praesentes bonos, apud probos posteros aeternam laudem mereretur, qui non praedae, sed iustitiae causa tot calamitatibus, quorum narratione horresemus, finem esset aliquando impositurus.

D. LASCARIS.

(1) *EZECHIEL*, c. XIII.

DE LINGUIS PRISCIS RECENTIBUSQUE.

TEMPORIBUS nostris lingua latina contemnitur; qua in discenda putant plerique aequales nostri tempus insumi; non enim intelligunt aut nolunt intelligere, quantum etiam illis studiis, quae ipsi laudant extolluntque, utilis sit. Lingua graeca iam inconsiderate negligita, stulti quidam, docti vulgo perperam habiti, latinas litteras, velut ad aliam aetatem accomodatas superbe detrectant. Neque curae istis est, nostris in regionibus, eam utilissimam esse ad gallicam linguam perdiscendam, quam multi seholarum alumni nec plane nec recte scribunt, quod in ea satis non exerceantur; rebus enim discendis ductis summorum scriptorum loci satis ampli non iam leguntur, quod quidem de utraque lingua dico; pueri levius edocti elementa grammatiae latinae, non solum fragmenta tam multorum operum optimorum haud libenter legunt, sed etiam fastidiose contemnunt. Qua de re multa dicere possum, sed malo, rebus vituperandis omissis, de optima ratione docendi et de utilitate linguarum antiquarum ad sermones recentes discendos pauca indicare.

Mea sententia, elementa grammatices latinae paullatim, sed penitus ediscenda sunt et simul quam plurima vocabula praecipua; hic, ut quasi verbo auctoris fabularum utar, ager invertendus, et rursus invertendus est aratro lagonibusque. Pensis enim bene distributis, magnis difficultatibus de medio sublatis, et firmis quasi fundamentis positis, quamvis brevius tempus ad hoc litterarum genus seponatur, studium discipulo diligent plerumque delectationi erit, fastidio remoto. His verbis lectis, litteratores quidam mihi ridere aut fastidire videntur; mea parvi refert, sentio enim me simplicem, non novam, sed rectam viam indicare; quam qui serio sequi volet, brevi fatebitur, saltem intra se, id verum et perspicuum esse. Deinde, legite, legite optimos auctores, et utimini, ne abutamini scriptis pensis: non quilibet enim generi dicendi Ciceroniano perfecte imitando par est.

Ad aliam rem nunc transeamus. Quantum linguae antique ad doctrinæ studium promovendum contulerint, quis inficiabitur? Qua de re manifesta non loquar, sed ostendam linguam latinam imprimis in linguis recentibus discedens adiumento esse; nam stulte maligneque tentatum est haec duo genera linguarum opponere alterum alteri, tamquam si alterum genus incommodo esse alteri possit; quo nihil magis falsum. Sine dubio, quibus hominibus opus est linguis recentibus vitae currculo, linguis priscis studere omnes nequeunt, quia aliis alia re earet, aut tempore, aut re familiari, aut mente studio idonea. Omnes porro qui germanico aut britannico sermone nullius rei causa, nisi mercandi aut peregrinandi gratia, uti volunt, si iis placet, sine detimento magno, rudes litterarum antiquarum manere possunt. Sed vir, vel potius homo acie mentis quadam prædictus, qui non solum res, sed etiam rerum causas cognoscere cupit, et utilitatem maximam et delectationem non contemnendam ex linguis recentibus discedens, praecipue ex linguis quasi filiabus linguae latinae, capiet, si Romanorum litteras quam penitissime cognoscet. Exem-

pli causa, ante annos nonnullos, vir quidam, tum septem et triginta annos natus, linguae latinae diu et sedulo studiosus, gallica lingua utens sermone patrio et aliarum linguarum non omnino rudis, intra paucos menses elementa linguae italicæ didicit et paulo post in hoc studio, oblectatione quadam adiuvante, adeo profecit, ut opera perfecta illarum splendidarum litterarum facile laeteque legeret.

Itaque adolescentes et matuiores etiam juvenilis eiusdem mentis et adhuc studiosos hor tamur, ne tempus in lingua latina discenda, – quid dico? – in perdiscenda aetum, frustra contritum existimant, quemquevit vitæ cursum sequentur.

HENRICUS COURVOISIER
ex athenaeo Genevensi in Helvetia.

DE LATINA ELOQUENTIA
IN ARCHIGYMNASIO TAURINENSI (1).

SI forte a me quaeris, candide lector, cur nam Boucheronus, in tanta rerum segete, quae patrum memoria in Subalpinis evenerant, hoc commentariolum scripsiterit de Clemente Damiano Priocca, et quidem latine, in promptu responsum est.

Boucheronus, admittente praesertim Priocca, in ipso aetatis flore, publica munera adverat, et scriba ab epistolis latinis eius administri dictus, vidit penitusque perspexit, quae fecerit ac tulerit vir prudens atque impiger, ut regem saltem ab externa dominatione eriperet. At, cum regnum antiquissimum a Gallis dirutum cernit, atque indicto bello renunciatum regi, omnia in quinquevirum esse potestate, proinde nihil aliud restare, quam ut, nulla mora interposita, volens et sine vi ex regno excederet, egregii viri adstitit virtus, ut regem atque consiliarios ab improborum calumnia defenderet.

Quae regio in terris nostri non plena laboris?

Et quia mobilia sunt vulgi studia, facile obrectatoribus fuit Prioccae famam laedendo creare, seque imperitis ostentare, quibus maledicta pro libertate erant!

Cum per urbem inauditi regis exsilii numerum diffunditur, ira et miseratio animos tangit. Coneursantes vidisses, immotos, in dolorem compositos, sublatis manibus caelum obtestantes. Indignabantur praeterita, horrebeat futura.

In his sermonibus dies advesperasebat, quum a praecone Prioccae libellus proponitur, qui percussa foedera testatus, quae a se, quae a rege post Clarasei pacem et societatem gesta commemorat, inbens et afflictis melius confidere rebus. Addebat scripto auctoritatem rumor, qui in vulgus manavit, regem, rei pericolo commotum, Prioccam ab eo edendo deteruisse. – « Atqui, – inquit, – o rex, ultimo hoc officio pietatis erga te meae libenter defungar; vicerit scelus, at sedet animo quidquid hoc demum vitae est, pro te, pro dignitate tua huic flammae offerre ». Sub vesperum vir fleeti nescius iubetur in arcem ad custodiā duci.

(1) Cfr. num. XVII.

Haudquaquam perterritus nuncium accipit Priocca, et tantummodo petit, ut sibi conscribere testamentum liceat, ac supremis religionis recreari.

Vadem dat, Deumque veneratus, pedes per medias vias frequentissimas, stabili gressu, nec alio vultu, quam si in suburbium aliquod secederet, animi causa, in arcem progeditur.

Hunc virum immortalitate dignum scriptis commemoravit, et, pro viribus apud posteros prorogandum censuit. Maxime laudandus, quod, cum omnes pene mortales, gloriola quadam capti, fortunam studiis adeptam sibimetipsis attribuant, nihilque aliis debere autument, ipse, demisso animo, Prioccae adtribuit, ei primum ad honores iter muniisse, suamque orationem suis propemodum manibus finxisse, invenilem redundantiam intra iustos fines cohercendo, admonendoque, mature quid sapientia et rerum usus in scribendo possit.

In media ferme urbe Taurinum, ad S. Philippi Nerii, adsunt aedes satis ampliae regalique situ illustres, quas sub exitum saeculi decimi sexti, ingenio praescriptoque Iuvarei clarissimi architecti, sodales Iesu sibi construxerant atque ephebis nobili genere ortis rite excolendis instituendisque. Postquam vero, ob Sodalitii abrogationem, potentiores dixerunt: *Haec mea sunt, veteres migrate coloni*, in ipsis sedem posuit coetus ille doctorum virorum R. Societatis Taurinensis scientiarum finibus proferendis, (italice: *L'Accademia delle scienze*), qui adhuc in Salutianis aedibus celebrari coepit est, admittentibus Iosepho Salutio, Aloisio Lagrangia et Francisco Cigna. Quae societas in tantam claritudinem brevi pervenit, ut vel ab incunabulis futuram olim magnitudinem portenderet. Nemo nisi summus cooperari inter illos nititur. Eorum opera haec Subalpinorum aetas fluxit dedita disciplinis atque artibus, complures autem ex illis proavis nostris, viri plane singulares sua gloriae succrescentes alios laeti adspiciebant. In illis adnumerabatur Ioseph Vernatia, ingeniosissimus vir, qui praesertim in scribendis latinis titulis floruit. Mirus erat propter summam sermonis proprietatem atque auctoritatem. Felicissimus autem non modo in rebus veteribus indictis, latine explicandis, sed etiam in exprimendis variis hominum moribus et ingenii. Nulla ferme res gesta est in subalpinis per triginta et amplius annos, nullus paullo illustrior vir fuit, quin aliqua inscriptione, posteritati prodiderit. In docendo effecit, ut non modo intemperiem ingenii discipuli aequo animo ferrent, sed eisdem etiam esset carissimus. Maximam autem sibi laudem promeritus est, quod Hieronymo Tiraboschio, litterarum italicarum historiam dirigenti, omnia ferme suppeditaverit monumenta, quae ad subalpinos scriptores pertinent temporum superiorum, quaeque nostratum incuria in tenebris delitescerent. In obitu laudationem meruit Caroli Boucheroni, qui doctus atque elegans hominem elegantem expolita oratione, quam maxime probanda atque inaffectata commendavit, quique oratorio prope modo splendidissimis luminibus enitescit, et numquam hunc aut illum scriptorem refert, suus semper adpareat.

Hoc com
postea excep
ipse edidit,
tissimi subal

Sed pree
propagavit i
lusio, de cui
tea pauula

HOR

SIMIA FELIS UN

Ut sibi castanea
Torrendas co
Cortice transfix
Ne crepitant
Atque capax me
Castaneas tre
Mox calido mi
Ne sit ab im
Hinc alio migrat
Coenam explora
Aut dextra tenta
Cardine, et an
Seu struere insid
Ne fugiat, siq
Cetera sive dom
Matura infirm
Manserat intere
Simia, ubi hiber
Hanc comitem m
Altera nec pot
Haec ubi cessit a
Præsenti arrept
Quot sclerum es
Pectore ad han
Ergo reluctandi
In dominæ co
Res tamen haec f
Cum sit per me
Nulla ibi vel for
Quo cibus e pr
Vidit, et ingemis
Nescia stare loc
Tandem animo co
Pectora, fraeni
Spernere in extre
Et tentare truc
Ah! quoties dubio
Incoepsum totie
Ter parvidam adm
Terque fames u
O furor! o rabies
Alternantque su
Et cupid, et metu
Sciundunt in pa
Circum oculis et
Labraque nunc
Nunc desperatam
Anxia nunc ro
Siquis in hoc co
Helluo, quanta
Infelix quid agat
Quanta fami m
Forte ibi felis era
Igne tepescere
Improba via spec
Hoc gula suppre
Irruit in felem: f
Configurique solo
Arreptoque agitat
Dudum exoptat
Illa reluctatur, f
Fotisque oblecta
Dente terit denten
Et torta horren

Hoc commentariolum, ex actis Academiae postea excerptum, semel atque iterum in vulgus ipse edidit, sieque apud exteriores gentes eruditissimi subalpini nomen renovavit.

Sed prae ceteris Caroli Boucheroni famam propagavit narratio de Thoma Valperga Casilio, de eius vita, studiis, moribus paulo ante paucula delibare iam memini.

SUBALPINUS.



HORAE SUBSECIVAE.

SIMIA FELIS UNGUE CASTANEAS AB IGNE EXTRAHIT.

*Ut sibi castaneas parvo contenta pararet
Torrendas coenae in fercula pauper anus,
Cortice transfixo disrumpit viscera cultro,
Ne crepitent sparsa dissiliantque foco
Atque capax mediis disponitur area prunis,
Castaneas tremula quo iacit illa manu.
Mox calido terri superaggerat ignem,
Ne sit ab immodico noxiis igne calor.
Hinc alio migrat lectum seu sternere, sive
Coenam expleturas sumere fontis aquas,
Aut dextra tentare domus clausa ostia duro
Cardine, et an stabili sint bene firma sera,
Seu struere insidias capiendis muribus, illas
Ne fugiat, siquis felis ab angue fugit,
Cetera siccus domus complere negotia, donec
Matura infirmis dentibus esca foret.
Manserat interea custos vicina camino
Simia, ubi hibernum mitigat igne gelu.
Hanc comitem mulier plures nutriverat annos,
Altera nec poterat dignior esse comes.
Haec ubi cessit anus, summum meditatur et airox,
Præsenti arrepta committat, nefas.
Quot scelerum est genitrix plerunque occasio! Stare
Pectore ad hanc firmo simia non potuit.
Ergo reluctandi suribundo nescia ventri,
In dominae coenam dentibus ire parat.
Res tamen haec facili non est explenda labore,
Cum sit per medios esca petenda rogos.
Nulla ibi vel forceps, aliud siccus ferrum,
Quo cibus e prunis extraheretur, erat.
Vidit, et ingemuit crispato pallida naso,
Nescia stare loco, nescia ferre moras.
Tandem animo constans, quid non mortalia cogis
Pectora, fraeni expersa impatiens fames?
Spernere in extremis extrema pericula rebus,
Et textare truces destinat ungue rogos.
Ah! quoties dubios protendere nititur unguis,
Incoepsum toties territa rumpit opus.
Ter pavida admovit dextram, ter cauta retraxit,
Terque fames urget, ter vetat ignis edax.
O furor! o rabies! studia in contraria feret,
Alternantque suas ira, dolorque rices!
Et capit, et metuit, suspensa que pendet, eamque
Scindunt in partes hinc timor, inde fames.
Circum oculis et naso exploratore pererrat,
Labraque nunc mordet, nunc scabitus ungue caput.
Nunc desperatam muro frontem admovet, unguis
Anxia nunc rodit, nunc pede verrit humum.
Siquis in hoc coetu est, et erit fortasse, vorator
Helluo, quanta sit haec poena referre potest.
Infelix quid agat? Quanta est industria ventri!
Quanta fami mens est, ingeniumque gulæ!
Forte ibi felis erat, recubans quae corpore toto
Igne tepescenti strata cubabat humo.
Improba vix spectat recubantem simia felem,
Hoc gula suppedit nobile consilium.
Irruit in felem: fauces hoc arripit ungue
Configitque solo, hoc arripit ungue pedem.
Arreptoque agitat cineres, quo forcipis instar
Dudum exoptatos extrahat igne cibos.
Illa refutatur, furit, ardet, nititur, urget,
Fotisque obductans ciribus ore fremit:
Dente terit dentem, curvos exasperat unguis,
Et torta horrendas exprimit aure minas:*

*Cauda tumet, fumant nares, frons aspera turgit,
Ira subest oculis flammæ sanguineis.
Omne tamen ludit maiori robore robur
Simia, et incoepsum durior urget opus
Fertque refertque unguis, tentaque, iterumque retentat,
Atque leves cineres irrequieta movent.
Nec miserae parcit durissima simia, donec
Castanea e pruni ultima rapta foret.
Sic trahit optatas alienis unguibus escas.
Atque suam reparant damna aliena famem.
Nunc mores perpende hominum: saepissime eadem
Inter et humanum civitatem arte genus.*

JOSEPHUS M. SOLARI, S. P.

DE TELEPHONO EIUSQUE INVENTORE.

VIGINTI et sex iam anni sunt, ex quo primum telephonieis funibus commiscere colloquia homines potuimus. Quod si novissime coram nostrorum municipum coetu Gulielmo Marconio, qui inventum perficiens omnino, demptis funibus, innovavit, salutationes concordes factae sunt, et Pacinotto et Ferraris quoque sua laus non defuit, quippe qui quasi antesignani inventus novissimi censentur, quisnam de Antonio Meuccio, Italo pariter nostro, loquutus est, de Meuccio illo, cui sententia iudicium Americanorum gloriam sanxit telephonum a suo nomine nuncupandi, cum Bell sodalitum telephonis deducendis per fraudem et fallacias ius eorum exercendorum sibi adscivisset?

Liceat igitur nobis Meuccium revocare, qui Florentiae natus id. Aprilibus a. MDCCCVIII, iuvenis admodum Americanas oras petiti, in Cubano theatro machinarius factus. Is dum otio aliquod tempus indulgens vias circumvit, natura ferente, ad physices experimenta intento consilio mentem applicat, eaque pertentat assidue. Neque etiam tum Reiss, germanus doctor, membranis vibrantibus interturbare electridis fluidum expertus fuerat, neque eadem Gray Aloisia, Chicaginensis illa virago, perfecrat, neque Philadelphinus Graham Bell in patria artium recentione rem proposuerat admirantibus, cum Antonius Meuccius binis chartaceis involueris instructus, cum amico in opposita domo incolente commode quotidie colloquebatur.

Telephonum profecto is repererat, cuius causa tot sustinuit deinde iniurias et angores, ne fraudolenti ditissimi viri eam sibi gloriam et lucrum addicerent, cuius laboris fructum pecuniae vi oppressus tandem ita amisit, ut nisi in patria regis administrì ei subvenissent amice, victu ipso caruisset!

Sed quo facilius intellegamus tenacem propositi virum, iuvat ad conamina illa prima redire.

Re enim inchoata minime contentus, omni opera ut eam perficeret studuit, atque ad electridis virtutem optime adhibendam se convertit. Chalybis virga electride saturata, involucrum aeneorum staminum, ante hoc ferrea membrana eaque subtilissima, et in extrema tuba metallica collocata, haec illi instrumenta fuere. Construxit duas machinas, alteram ad loquendum aptam, alteram ad audiendum. Coram tuba qui loquitur efficit voce ut membrana vibret; haec sua vice interrupit certis motibus fluidum per aenea stamina discurrentem, qui quidem motus,

per filum transmissi oscillationibus suis ad audentis machinam pari motu membranae vibrationes imprimunt, sonumque in aures gerimant.

Serius Drawboughius et Donoughius acuere sensum machinae loquentis, ut ita dicam, potuerunt, sed Meuccii nostri machina audiens eadem semper servata est. Paulo post, dum Huguesius microphonum effingit, quo carboniferis fragmentis loquentem machinam instruit, Meuccius Neo-Eboracum migrat atque apud Grant, sodalitii telegraphici Neo-Eboracensis praesidem, iterum iterumque instat, ut suum inventum periti viri examinarent, et de eius utilitate sententiam dicerent. Sed cunctatus est Grant duos annos, quo tempore ille ad magistratus qui inventorum testimonia publica tradunt (*Patent Office* vocant) documenta et specimen sui operis die XXIII mens. Decembris an. MDCCCLXXI tradidit. Quinque post annos Graham Bell, doctor Eboracensis, de telephono tamquam a se reperta machina litteras publicas et patentes obtinebat, fraude scholariorum, qui documenta itali inventoris clam ei prodiderant.

Interea Meuccius Staten in insula morari pergit Neo-Eboraci ab urbe parum dissita: nivalis hieme locus, at aestate floridus, quo omnes ut balneariae curationi inserviant, confluent. Ibi Clifton in oppido una cum nonnullis Italiam patria extoribus candelis sebaceis fabricandis operam dedit, atque ibi inter memorias multas exactae aetatis cum civibus suis, fama pauper pariterque pecunia, fere nonagenarius consumpsit vitam, dum aemuli inter divitias parvo pretio atque indecoro pacto acquisitas optime vivunt.

Non tamen veritatem fefellerunt, quae tandem splendidia eluxit, ad firmandum iterum – parecent lectores scribenti mihi patriæ gloriae contumaci – in iis quae electridem spectant quanta sit habenda gloria Italorum. Volta enim et Galvanus eam invenire, Meuccius et Marconius postremis inventis perfecere ad publicam utilitatem. Italica tropaea, inter novissimam aemulationem de pace et felicitate universorum comparanda haec sunt maxima, atque maiora forte vel gloria patrum, quae plerumque tanto sanguine parta est. Igitur si Helnopolenses germanici cives non iniuria ponere monumentum Philippo Reiss constituerunt, optimam eos adserere caussam nemo neget; ne vero affirmaverint, illum telephonicae machinae inventorem auctoremque primum fuisse, quippe qui anno MDCCCLXI Octobri mense eadente eam expertus sit. Noster enim decimo iam ab anno id assequutus fuerat, quod, nisi aemulorum abstulisset, gloriam non peritaram et nomini italicò novum splendorem addidisset.


Quandonam Antonii Meucci signum Florentina civitas inter tot summorum monumenta erexit celebrabit?

A. COSTAGGINI.



SUBURBANA BURGHESIORUM DELICIAE.

DECIMO septimo residente saeculo, superioris enormi illa eruditione et multiplici imbuto, ditorum cultiorumque virorum cupidio quaedam invaserat animos, qua aedificia excitarent agros-



Suburbanae Burghesiorum deliciae. — Aeseulapii fons.

que iucundissimos adderent, ut in ea carissimos et familiares suos accersirent, conviviis oblectarent, eruditis sermonibus provocarent, doctrinaque colloquientium uterentur; in agros autem, quos verius hortos et viridaria dicerem, vel certis diebus, vel quotidie populus pro luto conveniret ut recrearetur amoenitate locorum, monumentorum aspectu, quae undique collecta, pulchro illuc ordine, et veluti agmine et acie, disponebantur, peritis adlaborantibus architectis, doctissimisque viris loca opportuniora et congruentiora designantibus ac statucentibus. Sic illi mutuo sermone doctiores laetioresque iuxta dominum, sic populus tot simulacrorum adspectu, nomine, tot antiquorum temporum reliquiis docebat. Atque ego credo non mediocres has fuisse causas restauratae humanitatis et optimae indolis italicae in gentibus nostris. Assuebant quippe oculi, et mens una cum oculis assuebat per optima optimis artibus, assuebat nominibus prisca, celebritati ac decori priscorum dierum, et semet adhuc esse populum late regem, dum staret illuc circumspiciens, vel dum deambularet, liberrime sentiebat. Quid si plauderet gratis magnanimo, qui tot ac tam bella praeparaverat? Quid si crederet reges ipsos, non minus quam plebs, inde gaudium et iucunditatem habituros? Quae igitur populis dona videnda dabantur, quamdam vel in ipso regiam dignitatem adstruebant; dignitatem, inquam, cuius conseruus ad ea, quae regibus digna essent, regesque decerent aeta, facinora quoque se compararet.

Atque huius animi in ditibus et sapientibus causa reponenda mihi videtur, non in vitiosa quadam ambitione et luxuria, non in fastu quadam aemulatore meliorum, sed in illa lectione (sic tempus erat) assidua operum, quas nobis aureae aetatis Augustae scriptores reliquerunt. Nonne illuc Hortensianae villae ad Baulos, Lueullianae ad Misenum, ad Neapolitanum, ad Tuseulanum, Tullianae ad Pompeianum, ad Formianum, ad Tuseulanum pariter, Lueulliano proximum, ad Lirim? Quid de Horatiano in Sabinis? Quid de Tiburtinis villis Metellianis, Cassianis, Lollianis, Horatianis, Cornelianis, et huiusmodi? Atqui convenientibus illuc doctis Musae fabantur, philosophia serutabatur feliciter ac decernebat, artes omnes optimae sublimi caelum vertice attingebant.

Hac arte igitur, hoc instinctu, talibusque perspectis, Tiburtinum Estense, Astallianum apud Empulum non longe a Tibure, ad Sambueulum vicum, Borgianum-Gericomion, sub Afflano in occidentem, Caprarolense Farnesianum, prodigio quodam assurgunt, dum vel prope Urbem, vel in Urbe Pamphiliana deliciae, Albanae, Montaltianae, Mediceae, Vaticanae, Burghesianae, facientibus litteris, excitantur. De Tiburtino Estensi olim in Commentario seripsimus: de Romano hoc, eti ab auctoribus Burghesiis nomen celebritate percrebrescens, operaे pretium est dicere tum quia praeclara habet, quae alibi frustra desiderantur, tum quia, in potestate quod antea ex humanitate aedificatorum et in usu Populo Romano fuerat, nunc in iure proprietatis factum est; tertio denique quia pulchre cognoscitur quibus modis et quo viro ceperit, quibus creverit, proximis, cum Horatio loquor, angulis accendentibus.

¶


Seipso Cardinalis Burghesius, Pauli V Pontificis nepos, postquam plurima Urbis tempa operosae architecturae fronte exornavit, in eam venit mentem, ut suburbanam quoque sibi vilam conderet, quae magnifice indoli sue responderet. Itaque praedium, quod ante Pincianam portam a Ioanne Baptista Burghesio habebat, amplificavit et auxit, addita huic vinea, quam a Thoma D'Avalos, Aquini dynasta, dono accedit anno MDCVIII, die Aprilis mensis nono et vigesimo; comparata insuper vinea ab haeredibus Cerrini pretio seutatorum 2320, latius reddidit vigesimo octavo Iunii mensis die anno eodem; mox die XXVI Septembris vineam ad fines a fratribus Ceoli emit seutatorum tribus milibus et quingentis datis. Sequenti anno

Paulus V nepoti vineam Pincianam, a relictis Episcopi Papiensis Wilhelmi Bastonii obvenientem, donat, donatque eidem anno MDCXI quadriginta uncias aquae e flumine fontis Felicis in Urbe.

Iamque crescit fundus novis additis agris, vineis, hortis, quae omnia adquirit pretio Scipio noster anno MDCXV a Marco-Antonio Burghesio, mense Octobri: mense eiusdem anni Decembri ab Octavio Gratiani: anno MDCXVI a familia Piscini, anno MDCXVII a Joanne Maria Pietrogiacomo. Sic ab haeredibus Mariae de Parma; sic a Benedicto Martinianio: sic emit passim; ita ut fundus ille deliciosus confineatur iam ambitu metrorum 4500.

Nec quaerenda, vel enumeranda putas omnia, quae includit. Illuc Martinus Longhi senior desudat in fronte et aditu condendo, illuc Berninus fontem, quae a marinis nunenpatur equis; illuc sunt aedificia Vasantii, illuc laevis, delubra Aeseulapii ad lacum; illuc Antonini et Faustinae templum ad fidem redditum instar prisci, quod in Romano Foro est; illuc marmoreae transennae et claustra inextimabili pretio notata; illuc nemora, luci, recessus, labirynthi, mirtheta, pineta, querceta, iliceta, viaeque umbrosae, solitariae fontes, plateae, eiusmodi illa, quae Senarum nomine gaudet ad amphitheatri disciplinam perfecta; loca illuc sylva et abdita, caveis cavernisque ad quadrupedes continendos ditata, quos venatu excitare et confondere venabulo licet; illuc musea; illuc statuae passim, simulaera, columnae, sarcophagi, urnae. Quidquid optas, et quidquid non speras, repente coram sunt, atque omnia eo loco et ritu disposita, ut quod ultra est aeris liberi, quod conclusum collibus, quod patens in campos, quod in cadentem solem conversum, quod in Urbis moenia, quod in Tiberinas vias, harmonicum unum habeant simul, una conspirent ut sint deliciae oculis, menti quies, voluptas denique ex concordia rerum, equidem variarum, sed optimè coniurantium.

Pauca sunt, quae stylo assequare, plurima, quae superent dicendi et scribendi vim omnem et artem. Describesne obitum, aestivis diebus, virentibus ramis et frondibus caelum densis, solum herba molli floribusque pictum, inter ventilantes suaviter aures, murmurantes per



Suburbanae Burghesiorum deliciae. — Fons Berninianus.

pratum rivos fontes ab hum signa exsiliunt crepante pede in lacum proe cibus et quereb gredientes, fugi pentinis Faunis trunco abditis, rendis rictu, ve Omne genus cog manus, sapienti Musis haberet, s baret.

Atque haec o mano, exteris, lieceret; atque ita stres ludi saepi caelum dimissi, incensae, luctae, At nihil mortali ghesiana domus Burghesiana villa Ornamenta parti curia peribant; stupor Romanos rimis assuetos. Sa a Vindeliciis min donata, ut nome nefarie heu! in tribus memorand

DE MU
QUOD « ORATO

Quadraginta ei rissimii mortem in tione explicandu tota animi corporis Georgius Friderici Magdeburgica. His formae amplitudinem ciente pollent musicarum veniae, indomito ani que corporis videantur.

Atque in primis in Händelianis progressu, iam magis reperiiri, quae constituant, quibus constitutum assequuntur polyphonia, instru collectio, cantus sices partibus, « huiusmodi.

Nostri musica virtutibus, videlicet spiculitate, magna aut vehementibus mani, ut diximus, dñe, exquisita dilecta, pompa atque

Händeliana novibus nomen: Resu-

(1) Cfr. num. sup.

neianam, a relictis
Bastonii obvenientibus
anno MDCXI quadra-
ne fontis Felicis in
novis additis agris,
quirit pretio Scipio
Antonio Burghesio,
dem anni Decembri
MDCXVI a familia
anne Maria Pietro-
Mariae de Parma;
o: sie emit passim;
us contineatur iam

eranda putes omnia,
Longhi senior de-
ondendo, illie Ber-
s nuncupatur equis;
illie lacus, delubra
tonini et Faustinae
instar prisci, quod
marmoreae trans-
abili pretio notata;
s, labirynthi, mir-
ceta, viaeque um-
eae, cuiusmodi illa,
et ad amphitheatri
illie sylvosa et ab-
quadrupedes con-
u excitate et confi-
nusea; illie statuae
e, sarcophagi, ur-
dquid non speras,
omnia eo loco et
a est aëris liberi,
d patens in campos,
versum, quod in Ur-
s vias, harmonicum
spirent ut sint de-
luptas denique ex-
riarum, sed optime

ssequare, plurima,
bendi vim omnem
n, aestivis diebus,
is caelum densis,
que pictum, inter
murmurantes per

pratum rivos leni susurro, dum hic loquaces
fontes ab humo inter marmorea nympharum
signa exsiliunt, illie inter myrtha abditus
crepante pede fons per clivum festinat, et saltu
in lacum procumbit? Describesne vias sub ili-
ebus et quercubus, quo visus valeat, quasi pro-
gredientes, fugientes, hic illie habitatas a re-
pentinis Faunis et Sylvanis lapideis quasi ad
truncos abditis, vel a marmoreis belluis hor-
rendis rictu, vel a draconibus, vel a signis?...
Omne genus cogita, quod mens audax, perita
manus, sapientia architecti distribuit, prout
Musis liberet, suaderet Minerva, Phoebus pro-
baret.

Atque haec omnia ita erant, ut Populo Ro-
mano, exteris, urbanitatis lege servata, frui
lieceret; atque ita illie festi celebrati dies, eque-
stres ludi saepius instructi, iterati, aerovagi in
caelum dimissi, artificialibus ignibus machinae
incensae, luctae, cursus, et spectacula quaevi.
At nihil mortalibus aeternum est. Fatis Bur-
ghesiana domus recens premebat adversis, et
Burghesiana villa sub hasta venum danda erat.
Ornamenta partim situ squallebant, partim in-
curia peribant; arbores radebantur.... Dolor et
stupor Romanos invaserat animos tot pulcher-
rimis assuetos. Sed opportune ac feliciter erecta
a Vindelicis minantibus manibus est, et Urbi
donata, ut nomen Humberti regis illius ferat,
nefarie heu! interempti, Quiritium generatio-
ibus memorandum.

G. P.




Burghesianus lacus.

*tionis triumphus: Samson; Iosephus; Iuda
Machabaeus; Iefte; Saul; Israel cogitans;
Messias.* Ex his princeps, omnium consenu-
tis habetur, cuius memoriam gloriamque
affirmari potest numquam futurum esse, ut de-
leat dies. In eo enim musico opere vis atque
magnitudo aemulatione inter se contendisse

que tum precibus fundendis, tum vehementissi-
mo caeli desiderio ad se quasi socios Super-
ris adiungendos. Händelius Israels populum,
eiisque duces, bellica facinora gloriamque mu-
sicis modis vivificanda susepuit; Bachius vero
nullum alium heroa cantibus prosequendum
sibi constituit, nisi Christum. Notandum deni-
que primum musicum ad leviorum iu-
cundiorumque itali-
cae artis rationem
parumper accessisse,
et pene dixerim se
accomodasse, quum
alter ab austestate
et gravitate Germanorum propria, ne
transversum quidem
unguem, discesserit.

Bachius duo scrip-
sit oratoria, quibus
titulus: *Christi nativi-
tas et Christi pas-
sio ad mentem S. Mat-
thaei.* Hoc oratorium
tot tantisque virtutibus
exornatur ac
venustatibus, ut u-



Suburbanae Burghesiorum deliciae. — Sub quercubus gestatio.

videntur ad quid unum praeter modum grande
mirificumque efficiendum; dicam fore ut pro-
phetae ab immortali Bonarrotio in Vaticano
sacello, cui nomen a Xysto Pontifice coloribus
efficti, si quando loqui possint, canant profecto
cantus *Messiae*.

Georgio Friderico Händelio tum ae-
tate, tum aeri ingenio aequalis fuit
Ioannes Sebastianus Bach etiam Germanus,
qui diversa, atque ille, pro-
grediens via, novis virtutibus nobilissi-
mum musicæ sacrae genus, de quo
est sermo, auxit cumulavitque.

Re quidem vera Händeliana musica,
ut diximus, copia quadam vis atque
exuberanti ornamentorum pompa longe
lateque, si ita loqui fas est, effundi-
tur atque explicatur; quum Bachius
id sibi unum praestitutum habeat, ut
audientium animos musicis concentibus
penitus pervadat, illosque suaviter
adigat in sese redire ad Christiana mysteria contemplanda, at-

num mihi dignum videatur, quod cum Händelii
Messia comparetur.

Ex ceteris multis, qui musicam sacram co-
luerent, digni sunt qui memorentur. Iosephus
Haydn, Aloisius Von Beethoven et Felix Men-
delssohn, patria Germani, ac penitissima mu-



Burghesianus hippodromos.

DE MUSICO GENERE

QUOD « ORATORIUM » NUNCUPATUR. (1)

Quadragesima circiter annis post Iacobi Ca-
rissimii mortem in oratorium ulteriore evolu-
tione explicandum perficiendumque operam
tota animi corporisque contentione contulit
Georgius Fridericus Händelius domo Halla
Magdeburgica. Huius eximii musici opera et
formae amplitudine, et qua ad drama et bellum
ciente pollut virtute, et copia atque pompa
musicarum venustatum, ipsius immani statu-
rae, indomito animo, exuberantibus indefessis-
que corporis viribus plane respondere vi-
dentur.

Atque in primis animadvertisendum putamus
in Händelianis oratoriis, ipso temporis pro-
gressu, iam magis aucta ac ferme perfecta ea
reperi, quae musicam artem, sive media consti-
tuunt, quibus illa utitur ad finem sibi prae-
stitutum assequendum, ut melos, harmonia,
polyphonia, instrumentorum sapienter ordinata
collectio, cantus genus quod, instantibus mu-
sicees partibus, « fuga » appellatur, et cetera
huiusmodi.

Nostri musica his praesertim commendatur
virtutibus, videlicet summa conceptuum per-
spicuitate, magna efficientia et vi in suavibus,
aut vehementibus animi motibus excitandis, im-
mani, ut diximus, styli sive formae amplitu-
dine, exquisita denique ornamentorum opulen-
tia, pompa atque splendore.

Händeliana novem numerantur oratoria, qui-
bus nomen: *Resurrectio*; *Temporis et emenda-*

(1) Cfr. num. sup.

sicorum doctrina quam maxime pollentes. Primus, cuius opera perspicuitate nitent et facilitate nativa atque iucunda festivitate, quatuor scripsit oratoria; ex his duo precipue commendantur, quibus titulus *Creatio et Quatuor anni tempestates*. In *Creatione* summam sui in audiētes coniiciunt admirationem illa Biblyorum verba: « Et facta est lux », quae ita sapienter musicis vivificata sunt numeris, ut ex ipsis lucis flumen erumpere ac promanare videatur, quod tenebras discussas plane profliget. Alter autem, videlicet Beethovenius, Germanorum Euterpes cultorum princeps habitus, instrumentis musicis novam vehementer insculpit rationem, atque modulos extollit, ut ait Vagnerius, ad excelsas quasdam formas et species, quae perpetuo omnibus imitationi erunt. Consecuta itaque, - pergit Vagnerius -, supremum perfectionis gradum, Bachii, Haydnii et Mozartii opera, musicæ supergreditur, Beethovenio auctore, germanam pulchritudinis formam, ut ad altitudinem musicorum perveniat atque subli-

mitatem, in qua summa contineatur perfectio. Celebre existimatur eius oratorium, quod inscribitur: *Christus in oliveto*. Tertius denique eorum, quos memoravimus, id est Mendelsohnus, mellitissimus, elegantibus, exquisitisque musicis modis potissimum enituit. Duo ei debentur oratoria: *Paulus et Elias*, quibus ad Bachium atque ad Händelium accessisse visus est.

(*Ad proximum numerum*).

HERSILUS.

DIARIUM VATICANUM.

Mense Septembri an. MDCCCLIII die xvi SS. D. N. coram se admittit exēmos viros Clementem Pagnani, episcopum Kandien; Iulium Tommasi, episcopum S. Angeli de Lombardis et Bisaciens.; Angelum Pecci, episcopum Tricarien.; et Iosephum Habra, corecispicopum et procuratorem Patriarch. Syrii de Antiochia; rīm ab. Aloisium El-Khazen, procuratorem generalem Ordinis Maronitarum; rīnos p. Mallet, procuratorem congñis vulgo Eudistarum; Tomassini, rectorem pontif. semin. SS. Petri

et Pauli, quem Evangelii praecones tres, in Sinas profecturi comitantur; et Ioan. Angelum Pagliai, Ord. Servorum B. M. V. Priorem generalem.

— die xvii exēmos viros Stejaert, archiepiscopum Damascen.; Angelum Pardini, episcopum Zamensem; et Michaelem Lega, Congñis S. Coneilii Tridentinis decretis interpretandis alterum a secretis. Praeterea rr. dd. fr. Berilius, congñis Parvorum fratrum B. M. V. assistentem generalem; Alfonsum Eschbach, Gallici semin. rectorem; Vitalem Van den Bruel, procuratorem generalem Canonic. Reg. Praemonstratensium.

— die xviii Pontificem adeunt eñus vir Angelus Di Pietro, Pro-Datarius; exēni viri Antonius Savelli Spinola, Congñis de Propaganda Fide pro rebus orientalibus a secretis; Franciscus Vento, episcopus Aversan.; Leo Harmel, eques torquatus, una cum praepositis Gallorum peregrinis in Urbem adventantibus.

Exēmus vir Augustus Bonetti, Delegatus Apostolicus Byzantii, inter archiepiscopos pontificio solio adstantes, et rīmus dñus Iosephus Farroochi, procuratorem Tuscanien., inter domesticos antistites renunciantur.

— die xix excipiuntur idem exēmus vir Augustus Bonetti; Caietanus Caporali, episcopus Hydruntin.

11]

SELECTA EX BIBLIOTECIS ET ARCHIVIS.

DE RECTA PRONUNCIATIONE LATINA LINGUA DIALOGUS.

Ego, moto leviter capite: - « Illud vetus, Murete inquam -; eras credo, hodie nihil. Qui possim tam nova? Quia totam pronunciationem nostram non convertit hac via, sed evertit. Tu autem ipse, per fidem, serio ita sentis? »

Ille ridens: - « Si probas, sentio - inquit -; sin aliter, ludo, et pomum hoc velut Eridos iecerim in magisteriorum cohortem. Illi turbent, nos pergamus. De P littera nihil dico; plana res; nec vidi qui in effendo peccaret. Assidet B litterae, nisi quod validius exprimitur, labiis cum spiritu adductus pariter, et diductus. F in loco quarto. Cuius sonum princeps grammaticus (ita sentio) efformat Maurus:

*Tonum superis dentibus apprimens labellum
Spiramine leni (vult hirta Graia, rites)
Hanc ore sonabis.*

Et qui a Mauro mutuatus, Victorinus: « F littoram, imum labium supremis imprimentes dentibus reflexa ad palati fastigium lingua, leni spiramine proferemus ... Efferenda igitur leni quodam spiritu (utrumque ita suadet), nec tam hirta et aspera, quam & illa Graia. Iulio enim Sealignero heie qui credam? Valdinus sonare, quam Graecam vult; quae mollior est dilutiore sono. Errat ipse, aut mei illi. An Fabius dux ei in hanc mentem? Male. Dicere tale aliquid videtur, non dicit. Nam convicium eius (ita vere appelle, non iudicium) de haec littera istud: « Illa quae sexta est nostrarum, paene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter disserimina dentium afflanta est; quae etiam cum vocalem proximam acceptit, quassa quadammodo; utique quoties aliquam consonantium frangit, multo fit horridior ... Non enim hoc ponit valentius sonare quam Graecam, sed inamoenum. Nec tamen id ipsum cur ponat satis scio; nisi quia illam adspiratio fortasse mitigat, quae revera vegetatio quaedam et velut anima litterarum. Hac destituta nostra, gravior quadammodo fit et tristior. Sane, quin disserimen inter utramque sit, non negandum, etsi neglegi id video a nostro vulgo. Cicero auctor clare, in ea pro Fundatio, ubi testem Graecum irisit, quod primam eius nominis litteram dicere non posset. Et cur non potuit? Adspiravit videlicet, et P illud insitum magis expressit ritu sue gentis; itaque dupliceiter peccans, sic pronunciavit, quasi si esset Pfhundanus. Hoc ridet Catoni ridiculus ille consul. Quae dico, Priscianus adlaudat, eum

ait « F latinam fere similem & Graecorum ... Cur? Quia (hoc enim post addit) « non fixis ea labiis pronuncianda, ut P et H... Optime. Experiens enim: fuguntur tibi labia, et pressim cum risu clauduntur, cum illud & exprimis, servata vi P litterae, et aspiratione non neglecta. Alter in Latina est; me audi. Graecæ illius sonum ostendit, et in eo lusit Ausonius, obsceno et obscuro carmine in Eunum.

Vult enim indicatum ibi putorem, quem si quis proprius naso, aut ore admoto contigerit, merito olfaciens & illud pronunciat, quod solemus in odore tetro. Item apud Plautum senex, cum Pseudolus ei in os irructasset: - *Phu, in malam crucem!* In Charisio pessime scriptum de interfectione: « Fafae, ut cum putoris aliquid perhorrescimus, quae vix numquid Aegyptium pathos dueit? », Repone: Fu, fu, cum putoris, etc. Et usurpant hodie in abhorrendo pleiaeque hominum gentes. Sed de F littera finem faciamus. Abit ea quidem a B longiuscule; altera pro altera tamen scripta olim est et dieta. Bruges pro frugibus apud Ennium Cicero et Fabius agnoscunt; sifillum et sifilare pro sibilo Nonius; et Macedones Βιλαπόν pro Φιλαπόν, Βελαζρόν pro Φαλαζρόν dixerunt, auctore in *Quæstionibus Graecis* Plutarcho. Quin legi imo in simplicissimæ antiquitatæ senatusconsulto de Tiburtinis: DE · EEIS · REBVS · AF · VOBEIS · PECCATUM · NON · NON · ESSE. - Quadriga haec pergit suum eursum.

XIII.

Iungo quadrigam alteram, quam trahent mihi equi non concolores solum, sed gemelli, imo iidem. C. K. Q. G iis nomina. Quos a vi, aut soni indole, qui disserimines? Aegre possis ex mente veterum, qui adeo easdem censurunt, ut unam vice omnium diu sint usi. C sola iis locum munusque aliarum trium tenuit; donec natae inventaeque illae, vix ob necessitatem, sed ornatum. Videbo tamen singulas, et si quid in aliqua eximium, dicam.

C prima et vetustissima est. Quam in locum kappa Graecanice venisse non est dubium in locum, sed et in sonum. Plane pleneque elata semper. Nec assertione res egebat. Quis enim grammaticorum aliter umquam tradidit? Nisi quod hodie pravus et pertinax in eo error inolevit. Duplicem ei sonum dedimus; alterum ut debuimus, alterum ut voluimus. Et cum a vocalibus quidem A. O. Y, aut diphthongo Au excepitur, suum ei relinquimus et priscum sonum. Efferimus enim caput, corpus, cubitum, caudam, cum ab E. I. Y. E. novum ei damus et anteaevo inauditum. Enunciamus enim cum crasso et molesto quadam sibilo ceram, cippum, cyrnum, caenam, coenum; effatu, quem littera nulla habet, nulla habuit. Ad Z aut S accedere videtur; non vero attingit. Quae haec

perversitas? quis auctor? Apex non est in veterum scriptis qui stabilitat, et mos ille tantum a quadam libidine peccandi. Omitto grammaticos omnes, qui C cum K aequiparant clare: ratio ipsa quam repugnat? Capio recte effers; cepi ab eo, cur non aliter? cur incipio? Ecceum et eecam audio; ecce producit in alia soni veste. A cassio formari incestum qui vox tua me doceat? Et multa alia, quae labem et ambiguitatem invexere in latinam linguam. Silicem aut cilicem ex enunciato nostro aures non discernant; non Cyrum aut Syrum; sepio aut caepio; cellam aut sellam; servum aut cervum; discere aut disseire, et quae millena. Pudet non tam erroris, quam pertinaciae, quia corripi patiuntur, at non corrigi, et tenent omnes quod defendat nemo. Itali, Hispani, Germani, Galli, Britanni in hoc peccato: a qua gente initium emendandi? Audeat enim mihi una aliqua, et omnes audient. Sed de C satis; cui verum pronunciatum dabis, si efferes adducta leviter palatum versus lingua, eiusdemque ad dentes, cum spiritu aliquo, appulsi. An et hoc addo? cum S eam praeedit, male exprimi hodie; efferendam autem velut Sk. Hoc modo skamnum, skena, etc. quae nobis sunt schamnum, schena.

Sequitur K littera, quae graecanica mera est, et in Latinum venit non ob usum, sed ob luxum. Vere enim superfluit; et saniorum litteratorum nemo id negavit. Nam quod nonnulli usum et locum ei faciunt, quoties A excipit, ut in kaput, karina, Karthago ac similibus, novitia ea regula; sed et falsa. Fateor saepe locum ante A habere, imo vix alibi; atque ideo in lapidis logo: KARVS - KASTITAS - PARKAVM - PALIKANVS - DEKORATVS - DE-DIKAVERVNT, sed saepius aliter; et firma non ei sedes, nisi in notis. Quinetiliani ista mens: « K quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quae significat etiam ut sola ponatur, Terentiani eadem:

*K similiter otiosa ceteris sermonibus
Tunc in usu est cum Kalendas adnotamus, aut
[kaput,]
Saepe Kaeones notabant hac retusti littera.*

Vult K solitariam tribus vocibus notam esse: kalandis, kapiti (in legibus capita ita notabant) et prænomini Fabiorum. Capella item in tripliæ saltem nomine locum dat, sed pro Kaesonibus kalumniam supponit: « K nunc nota esse putatur, nunc littera; nam eius effectus C integrare non dubium est; absque his kapita, kalendæ, kalumniae, etc. Ubi nescio an verius legeris: « non littera, Quia igitur ex plurium usu sedes eius in trina tantum sede, Ausonius scripsit:

Haec tribus in Latio tantum addita nominibus K.

(*Ad proximum numerum*).

I. LIPSIUS.

una cum r.
e Pretiosi
dus Beider-
De Navenn
licam Seder
— die xx ma
Vicarius; ex
Concilii Tr
secretarii;
Vespere Be
profectorum
— die xxi rr.
presbyter, e
timos Pontif
— die xxii ut
viro Caieta
num magistr
sione a rede
saera primu
gemmam ad
Exēmus vir I
lieus eligitu
— die xxiii a
viris Horati
Iosepho Wilp
dioecesis Ven
Ord. Canonic
nobilibus vi
uxore, et Fr
cum uxore et
Belgis ac Bu
Nomine SS. «
Congñis dec
» CATA
» Rīmus dñ
Catalaunensi
quentis dubi
mirum: « An
tifice Leone X
dicendae sint
Et Sacra ead
Secretario, an
omnibus n
suit: *Affirmat*
Atque ita
D.
N.B. Quoad
notanda sunt
Aretina 18 I
Basileen. 23 N
vici 23 Junii 1
ad VII, et n
ad I ».
— die xxiv Po
Segna, Vatic
Franciseus S
O' Connell, a
dd. Lechert, p
sub titulo « L
Bredensis; H
denique claris
sius Fornari,
tificiis praefer
Vespere cora
quondam alu
morandum an
minariorum insti
R. d. Hitze, ex u
peritissimum, i
laus Crisafi, S
collegii Capra
cubicularios
— die xxv exc
rius de Horn
restien; Fran
et Feltren; r
politanae Ian
— die xxvi em
carius; exēni
episcopus ele
Apostolicus;
chio; et nobil

cones tres, in Sinas
Angelum Pagliai,
em generalem.
rt, archiepiscopum
episcopum Zamen-
fis S. Concilii Tri-
alterum a secretis.
congñis Parvorum
nerale; Alfonsum
orem; Vitalem Van
alem Canonice. Reg.

mus vir Angelus Di
iri Antonius Savelli
da Fide pro rebus
us Vento, episcopus
torquatus, una cum
s in Urbem adven-

legatus Apostolicus
pontificio solio ad-
s Farroochi, pro-vi-
eos antistites renun-

mus vir Augustus
piscopus Hydruntin.

non est in veterum
e tantum a quadam
aticos omnes, qui C
psa quam repugnat?
eur non aliter? cur
o; ecce producit in
inceustum quia vox
uae labet et ambi-
nguam. Silicem aut
res non discernant;
caepio; cellam aut
scere aut dissere, et
roris, quam pertinac-
corrigi, et tenent
i, Hispani, Germani,
qua gente initium
na aliqua, et omnes
erum pronunciatum
latum versus lingua,
itu aliquo, appulu.
cedit, male exprimi
k. Hoe modo skam-
schamnum, schena.
anica mera est, et
d ob luxum. Vere
ceratorum nemo id
m et locum ei fa-
put, karina, Kar-
regula; sed et falsa.
re, imo vix alibi;
RVS - KASTITAS
EKORATVS - DE-
r; et firma non ei
sta mens: "K qui-
to, nisi quea signi-
entiani eadem:

onibus
as adnotamus, aut
[kaput,
retusti littera.

s notam esse: ka-
notabant) et prea-
triplici saltem no-
us kalumniam sup-
nunc littera; nam
im est; absque his
i nescio an verius
r ex plurium usu
Ausonius scripsit:
ta nominibus K.

I. LIPSIIUS.

una cum r. p. Aloisio Biaschelli, Evangelizatorum
e Pretioso Sanguine D. N. I. C. rectore; Bernardus Beider-Lindeu, episcopus Poonen; Ferdinandus De Navenne, Gallorum reipublicae apud Apostolicaem Sedem legatus.

— die xx mane Petrus Respighi, Cardinalis in Urbe Vicarius; excñi viri Caietanus De Lai, Congñis Concilii Tridentinis decretis interpretandis prosecretarius; Antonius Dolci, episcopus Eugubini. — Vespere Bergomensium manus peregre in Urbem protectorum.

— die xxi rr. dd. Bellincanta, oppidi Riese archipresbyter, et Silvestri, canonicus Cuneen, inter intimos Pontificis cubicularios adnumerantur.

— die xxii ut benevolentiae suae testimonium excñi viro Caietano Bisleti, Summi Pontificis admissionum magistro, exhiberet, Pius PP. X, sumpta occasione a redeunte xxv die anniversario, ex quo ille sacra primum litavit, litteras caelatamque sculptam gemmam ad eum mittit.

Excñi vir Josephus Wilpert Protonotarius Apostolicus eligitur.

— die xxiii aditus est ad Pontificem mane excñi viris Horatio Mazzella, archiepiscopo Rossanen.; Iosepho Wilpert, Protonotario Apostolic; A. Genty, dioecesis Versalien, vicario gefili; Archangelo Lolli, Ord. Canonicorum Lateranensis abati; praeterea nobilibus viris Ioanni marchioni Cavalletti cum uxore, et Francisco comiti Conestabile della Staffa cum uxore et liberis. — Vespere nonnullis peregrinis Belgis ac Burdigalensibus.

Nomine SS. « Urbi et Orbi » vulgatur Sacr. Rit. Congñis decretum, quod sequitur:

« CATALAUNEN. »

» Rñus dñus Michael Andreas Latty, Episcopus Catalaunensis a Saera Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit; nimurum: "An preces post Missam a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae adhuc, Ipso defunto, dicendae sint? .."

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, auditio voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature pñpensis, rescribendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit die 11 Septembris 1903.

Marius Card. Mocenni
D. Panici Archiep. Laodicen. Secret.

N.B. Quoad preces praescriptas post Missam notanda sunt S. R. C. decreta; nempe: n. 3637 *Aretina* 18 Iunii 1885, ad VII et VIII; n. 3632 *Basileen.* 23 Novembris 1887; n. 3805 *Portus Ludovici* 23 Iunii 1893; n. 3855 *Macaonen.* 10 Maii 1895, ad VII, et n. 3936 *Agrigentina* 11 Decembris 1896, ad I ».

— die xxiv Pontificem invisunt eñus vir Franciscus Segna, Vaticano Tabulario praepositus; excñi viri Franciscus Spolverini, Sub-Datarius; Franciscus O' Connell, athenaei Washingtoniensi rector; rr. dd. Lecher, procurator generalis Evangelizatorum sub titulo « Divini Amoris »; Resemans, seminarii Bredensis; Hensen, seminarii Warmond doctores; denique clarissimi viri Ignatius de Sanctis et Aloisius Fornari, « obolum » afferentes addictorum pontificis praefecturis civilibus ad an. MDCCCLXX. — Vespere coram SS. admittuntur Galliei seminarii quondam alumni, qui in Urbem venere ad commemorandum anniversarium diem L ab eiusdem seminarii institutione.

R. d. Hitze, ex urbe Gladbach, oeconomicae doctrinae peritissimus, inter Protonotarios Apostolicos; Nicolaus Crisafi, Sieulus; et Iosephus M. Coselli, almi collegii Capranicensis in Urbe rector, inter intimos cubicularios referuntur.

— die xxv excipiuntur excñi viri Franciscus Xaverius de Hornestein, archiepiscopus latinus Bucarestien; Franciscus Cherubini, episcopus Bellunen. et Feltren.; rñus d. canonicus Sanguineti, Metropolitanus Iannen. praepositus.

— die xxvi eñus vir Petrus Respighi, in Urbe Vicarius; excñi viri De Curel antistes, Monocen. episcopus electus; ac De Poterat, Protonotarius Apostolicus; nobilis vir Laurentius Bottini marchio; et nobilis puella Mazé de la Roche.

Ut benevolentiae testimonium redderet excñi viro Mario e principibus Chigi-Albani, Conclavis « Mareschallo » perpetuo, SS. D. N. supremum insigne pontificium, cui a Christi Ordine nomen, largitur. — die xxviii Pontificem adeunt mane Purpurati Patres Marius Mocenni et Iohannes Baptista Casali del Drago; excñi vii Vincentius Hood, Portus Hispaniae archiepiscopus; Ioh. Barcia, episcopus Croien.; rñus vir Laurentius Cossa, Sodalibus Somascis praepositus. — Vespere r. p. Amelli ex Ordine S. Benedicti, bibliothecae Casinensis custos; socii nonnulli e sodalitate « mutuae charitatis » ad Centumcellas; denique iuvenes centum sacra synaxi hoc die primum refecti.

— die xxix mane excñi viri David Camilli, episcopus Fesulan.; Cristophorus Enard, episcopus Cadureen. cum Gallis nonnullis; Ignatius Montenisi, episcopus Marsicen. et Potentin.; Seraphinus Angelini, episcopus Abellinen.; Henricus Grazioli, archiepiscopus Nicopolitanus, Urbanus Virginum coenobii praepositus; r. p. Silvanus de Stephano, Abas Cavenisi Tyrrenorum; clarissimus vir Paulus Feron-Vrau, Gallici diarii *La Croix* moderator, eiusque uxor. — Vespere, post excñum virum Salvatorem Fratocchi, episcopum auxil. Urbevetan., in museo « lapidario » apud Pontificem admittuntur Galliei operarii in Urbem peregrinantes, atque binas lampades ex aere aurato offrentes, ut in « crypta Lapurdensi », recens in hortis Vaticanis ereta, collocentur. Pius PP. X coram singulis benigne sistens et humanissime collocutus, denique plenissimam orationem habet et omnibus sollemniter benedicit.

— die xxx aditus est ad Pontificem excñi viris Petro Maffi, archiepiscopo Pisan.; Guidoni M. Conforti, archiepiscopo Ravennaten.; Francisco Paulo Carrona, archiepiscopo Aquilan.; Ascentio Dandini, Congñis Studiorum a secretis.

ACTUARIUS.

ANNALES.

Nicolai, Russorum Caesaris, iter in Austriam — Balkanica quaestio — Anglicae res — Hungaricae perturbationes — Ex aedibus Vaticanis.

Si Eduardi, Anglorum regis, si Guilelmi, Germanorum, ad Franciscum Josephum, Austrorum Imperatorem, visitationes haud immerito non parvi momenti ob hodiernam Europae conditionem existimatae sunt, quid dicemus de conventu, quem Nicolaus, Russorum Caesar, cum ipso, Murzsteg in urbe, habuit? Quae verbis enim significaverant, re statim regales viri declararunt. Litteris alludo, quas ad suum uterque Byzantium legatum miserunt, ut suam quisque vigilantiam exerceret auctoritatemque, si opus esset, interponeret, quo citius et vere a Turcis ad effectum adducantur reformationes toties promissae in Macedoniae levamen. Atqui Turcarum Imperator recens et ipse se velle tandem ac reapse ostendit, quum decretum emisit Monastiriensem coetum constituens, in quo Balkanicis legatis quoque esset locus. Qui quidem coetus et ceterorum populorum cunctatrices circumspectiones suadent a ratione civili hac pacis opus in Balkanica regione, paulatim, et ad tempus saltem, perfectum iri.

* Nec quidquam Balkanicae gentes opponere audebunt. Bulgariam videte, quae iam in aciem erat discessura ut seditiones Macedones adiuvaret, quibus proculdubio armorum militumque auxilia praebuerat; nunc pedem refert alioque inclinatur, sollemniter, serius quamquam, e proposito suo bellum eliciens. Convenienter et

pro foenore suo Graecia, impos sibi Macedoniam addicendi, sibi tot antiquisque vinculis devinctam, ad Turcas accedit. Servia etiam consilium ei tributum foederis cum Bulgaria de re initi reificere a se festinat.... Evidet misericordia Macdonibus restat? Sibi unice relictis, magnis Europae imperiis infensis, ad neutram partem redactis tum Belogradensi, tum Sophiae gubernio, in certamine impari persistere idem ipsis erit atque inutiliter sanguinem effundere, ac Turcarum commodo inservire, ut diverticula quaerant ad refectiones lentius inducendas, quarum proculdubio Macdonibus ius, et officium a ceteris Europae nationibus, spondentibus Austria et Russia, est suscepit.

★

Quum diarii passim nunciabant brevi futurum ut administrorum collegium in Anglia integrum rursus componeretur, ad augendas difficultates et magis magisque civium animos commovendos supervenit munerus abdicatio facta a nobili viro Devonshire, consilio principis praeposito. Hinc itaque de commercii libertate, inde de vectigalibus « ad tutelam » imponendis acriter disceptatur; neque ipse administrorum praeses Balfour ab orationibus abstinet, qui tamen, ne sibi aequilibrium tollat, versare se hue atque illuc studet.

★

In Hungaria etiam non leves perturbationes. Exercitum sui iuris volunt Hungari et patrium sermonem in omnibus proprii gubernii actis: nee valuit Caesaris promulgatio clare demonstrans imperii singularumque gentium, quibus idem constat, exercitus unitatem summopere interesse. Ad disserimen difficilium reddendum heic quoque accessit Khuen Hedervary, supremi administri, a munere recessio.

★

Interea, ex aedibus Vaticanis, diu exspectata omnibus populis insonuit primum Pii X vox, eius paternae caritatis et sollicitudinis monumentum integre placuit in nostro commentario referre.

PROPOPICOLA.

AENIGMATA

I.

Didonis germana diu Carthagine vixi:
expulsa Latium praebuit hospitium.
Adde mihi vocem, qua iurgia dira notantur:
res gestas narrans illico fio liber.

II.

Ad caelum surgo frondoso vertice. Muta
vocalem; iam te semita tuta manet.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

JOSEPH SCOPA
CARMINA

Aenigmata an. VI, n. XIV proposita his respondent:

1) Centum, Centrum; 2) A-mens-Mens-a.


Ea rite soluta miserunt:
I. Wilhelm. Battle. — Car. Stegmüller, Sabaria. — I. Lemette, Liverpool. — Leo Clugnet, Fresnes-les-Rungis. — Seminarium Santanderense Mich. Vidal, Palma in insula Majorica. — D. Le Provost, Briocen. — Alois, Perazzi, Mangalore in Indis. — I. Pagos, Penang. — Ant. Lassota, Sutrio. Sortitus est praemium

LEO CLUGNET,

ad quem missum est opus, cui titulus:

IACOBI CORTESE
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
DIVINA PROVIDENTIA
PII PAPAE X
EPISTOLA ENCYCLICA
AD PATRIARCHAS
PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMUNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES



VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIVS
EPISCOPIVS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIS
PACEM ET COMMUNIONEM
CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquenturos, nihil attinet commemorare quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc Pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videtur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem nostram posse quae Anselmus, vir sanctissimus, querebat quum, adversans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscire. Etenim quae ille moeroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gravissimum officium munus experimus. *Testantur sic ille* (1), *lacrymae meae et roces et rugitus a gemitu cordis mei, quales numquam de me, ullo dolore, memini exisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi qui, ea die, rultum meum inspexerunt.... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallbam. Huic autem de me electioni, immo violentiae, haec tenus, quantum potui, serrata veritate, reluctatus sum. Sed iam, relim nolim, cogor facteri quia quotidie iudicia Dei magis ac magis conatu meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde iam, non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, cinctus violentia, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam orari quantum potui, et conatus sum ut, si possibile eset, calix iste transiret a me ne biberem illum... meum sensum et voluntatem postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.*

Nee plane repugnandi causae, multae, et maxima, defuerunt Nobis. Praeterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum Ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii,

(1) *Epp.*, I. III, ep. 1.

tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis paeclarissimis consecrarit? - Dein, ut praetereamus cetera, terrebatur Nos, quam quod maxime, ea quae modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra praeteritas aetas, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus edexes ad exitum rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres; defectio abscessio a Deo: quo nihil profecto cum pernicie coniunctus, secundum Prophetae dictum: *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt* (1). Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurendum esse Nobis videbamus; arbitrabamur enim Dei iussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut exellas et destruas, et aedifices et plantes* (2): verum concessi Nobis infirmitatis Nostra, negotium, quod nihil simul haberet morae et difficultatis plurimum, suspicere verebamur.

Attamen, quoniam numini divino placuit humiliatum nostrum ad hanc amplitudinem potestatis provehere, erigimus animum in eo qui Nos confortat, Deique virtute freti manu operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo* (3), ut videbile sit *omnia et in omnibus Christus* (4). - Erunt profecto qui, divina humanis metientes, quae Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorquere. His ut inanem spem praecidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil, opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cuius utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostrae sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decreatum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat, hoc unum dabitur semper: *Instaurare omnia in Christo!*

Quo quidem in paeclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affer summam, quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adiutores. Id enim si dubitemus, ignarus vos, non sane iure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur aduersus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania* (5); ut communis fere ea vox sit aduersantium Deo: *Recede a nobis* (6). Hinc extincta omnino in plerisque aeterni Dei reverentia, nullaque habita in consuetudine vitae, publice ac privatim, supremi eius numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis*, de quo Apostolus loquitur (7), iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetratur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini eum Deo officia intercedunt tollere, delere prorsus paefracte contendit! E contra, quae, secundum Apostolum eundem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus*; usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extingue penitus in se nequeat, Eius tamen maiestate reiecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit a ceteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* (8).

Enimvero hoc aduersus Deum mortalium certainam qua sorte pugnetur nullus est sanae mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris ius atque numen violare; verumtamen victoria a Deo semper stat: quin etiam tum proprias clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Haec ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis: *Dissimulat scilicet peccata hominum* (9), suae veluti potentiae ac manifestatis immemor; mox vero, post adumbratos reces-

(1) *Ps. LXXVII, 65.* — (2) *Ps. LXVII, 22.* — (3) *Ib. XLVI, 8.* — (4) *Ib. IX, 20.* — (5) *Ps. IX, 19.* — (6) *Ib. XXXII, 17.* — (7) *I Cor., III, 11.* — (8) *Ib. X, 36.* — (9) *Hebr., I, 3.* — (10) *MATTH. XI, 27.* — (11) *Hom. De captivo Eutropio*, n. 6. — (12) *Apoc., XII, 10.*

sus, *excitatus tamquam potens erupatus a vino* (1), *confringet capita inimicorum suorum* (2); ut norint omnes *quoniam rex omnis terrae Deus* (3), et sciunt gentes *quoniam homines sunt* (4).

Haec quidem, Venerabiles Fratres, fide certa tememus et expectamus. Attamen non ea impeditur quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus; idque, non solum efflagitamus assidue: *Exsurge, Domine, non confortetur homo* (5); verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas ceteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut *Eius imperandi ius ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur*. - Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis. Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac moeror, quum homines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extollunt, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invokeat vehementer. Pax tamen, reiecto Numine, absurda queritur: unde namque abest Deus, iustitia exsulat; sublataque iustitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus iustitiae pax* (6). - Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti, *tranquillitatis* nempe *ordinis*, in coetus factionesque coalescent, quae ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inane! Partes *ordinis*, quae pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unae sunt: partes faventum Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures adducere, si securitatis amore incitamur.

Verum haec ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad maiestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, numquam nisi per Iesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (7). Scilicet unus ipse est, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (8); *splendor Patris et figura substantiae eius* (9), Deus verus versus homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (10). - Ex quo consequitur, ut id omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtervationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus: eo praestito, iam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquinamus, non socordem illum atque humana negligenter, quem *materialistarum* deliramenta effinxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura, personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, instissimum denique legilatorem, qui santes plectat, praemia proposita virtutibus habeat.

Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem iure Chrysostomus: *Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia* (11). In id namque illum condidit Christus, quae sit sui sanguinis pretio; eique doctrinam suam ac suarum pracepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinae gratiae munera ad sanctitatem ac salutem hominum.

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum: ut consociationem hominum, a Christi sapientia aberantem, ad Ecclesiae disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse aequitati gratulabimur, audiemusque feliciter *rocam magnam de caelo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi eius* (12).

- Hie tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est, ut scelus illud immane ac detestabile, aetatis huius proprium, penitus eradamus, quo se nempe homo pro Deo substituit; tum vero leges Evangelii sanctissimae ac consilia in veterem

dignitatem vi ab Ecclesia t menta de san naque puerili, officiis in eos libritas demun stiano institu haec Nobis, De sequenda prop mur. Vestrum etitate, scienti divinas gloria aliud spectante Christus (1).

Iam quibus dicere oportet; rarum haec pri iis, qui forman destinantur. Ad Fratres. Sacris in populis, qui tam norint, quattuor iis ver donec formetur plere munus qu duerint? atque dem usurpare p rero in me Chr Quamobrem, etc ut occurramus i tatis plenitudin illum spectat qui citur alter Chris nicatione, sed eti sam in se Chris

Quae cum ita rabiles Fratres, etitatem omnem niant, negotia ce potior diligentiar rite ordinandis n doctrinæ et mor cordis quisque ve ad eius utilitatem Synodo provident ad hoe ventum embeant, ne quaeo theo perscripsit: illud attentissime futuros, quales fu Quare ad privata ne habetote; sed et semperna ani Apostolus praecavat — Porro sacerdoti digressi industria animo hortamus, calere oportet, ad

mate ut uni Deo equidem, Venerabiles debimus ne hominem novae ciuinsdam a non redoleat, quae rationalismi aut se titur; quos ut eave nebat, scribens: *L vocum novitatis et quam quidam pro* Hoe tamen non in existimemus illos lium doctrinarum persequuntur, ut i osorum fidei calum Verumtamen celar tissime profitemur, qui, quamvis sacerdotes proximis se dedant, e sacerdotem deceas stitia Nobis magna

(1) *Gal.*, IV, 19. — (4) *Philipp.*, I, 21. — (7) *Ibid.* — (8) *I Tim.*

dignitatem vindicanda; adserendae altius veritates ab Ecclesia traditae, quaeque eiusdem sunt documenta de sanctitate coniugii, de educatione doctrinae puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; aequilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. - Nos profecto haec Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinae gloriae, industriis nostris obsecundare; nihil aliud spectantes praeterquam ut in omnibus formetur Christus (1).

Iam quibus ad rem tantam utamur adiumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. - Curarum haec prima sunt, ut Christum formemus in iis, qui formando in ceteris Christo officio munieris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis, quibuscum versantur, provinciam sibi datum norint, quam Paulus suscepisse testatus est amanissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (2). Qui tamen explere munus queant, nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli eiusdem usurpare possint: *Vivo ego, iam non ego, civitudo in me Christus* (3). *Mili civere Christus est* (4). Quamobrem, etsi ad fidèles omnes pertinet hortatio *ut occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (5); praeceps tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idecirco dicitur *alter Christus*, non una sane potestatis communicatione, sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferaat.

Quae cum ita sint, quae vobis quaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! huic, quaeunque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderansque, ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate florent. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad eis utilitatem omittentes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. — Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris iniciari debeant, ne quaeo excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Nemini cito manus imposueris* (6); illud attentissime reputando, tales plerumque fidèles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabit. Quare ad privatam quaecumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, *communicetis peccatis alienis* (7). — Porro sacerdos iniciati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod caelesti igne calere oportet, adinovete saepius, incendite, inflamate ut uni Deo et lucis animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novae cuiusdam ac fallacie scientiae, quae Christum non redolet, quaeque, fucatis astutisque argumentis, rationalismi aut semirationalismi errores invehere nittitur; quos ut caveret iam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, decitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (8). Hoc tamen non impeditur quo minus laude dignos existimemus illos e sacerdotibus iunioribus, qui utilium doctrinarum studia, in omni sapientiae genere, persequuntur, ut inde ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellendas instructiores fiant. Verumtamen celare haud possumus, quin etiam aperiissime profitemur, primas Nos semper delaturos iis qui, quamvis sacras humanasque disciplinas minime praetereunt, proxime nihilosecius animorum utilitatibus se dedant, eorum procreatione numerum, quae sacerdotem deceant divinae gloriae studiosum. *Tristitia Nobis magna est et continuus dolor cordi* No-

stro (1), quum cadere etiam in aetatem nostram conspicimus Ieremias lamentationem: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Non enim de clero desunt, qui, pro cuiusque ingenio, operam forte navent rebus adumbratae potius quam solidae utilitatis: at verum non adeo multi numerantur qui, ad Christi exemplum, sibi sumant Prophetae dictum: *Spiritus Domini unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captiis remissionem et coecis visum* (3). — Quem tamen fugiat, Venerabiles Fratres, quum homines ratione maxime ac libertate ducantur, religionis disciplinam potissimum esse viam ad Dei imperium in humanis animis restituendum? Quot plane sunt qui Christum oderunt, qui Ecclesiam, qui Evangelium horrent ignorantie magis quam pravitate animi! de quibus iure dixeris: *quaecumque ignorant blasphemant* (4). Idque non in plebe solum reperi est aut in infima multitudine, quae ideo in errorem facile trahitur; sed in exultis etiam ordinibus atque adeo in iis, qui haud mediocri eruditione ceteroqui polleant. Hinc porro in plerisque defectus fidei. Non enim dandum est scientiae progressibus extingui fidem, sed verius incita; ut idecirco ubi maior sit ignoranciam, ibi etiam latius pateat fidei defectio. Quapropter Apostolis a Christo mandatum est: *Eunte, docete omnes gentes* (5).

Nunc autem, ut ex docendi munere ac studio fructus pro spe edantur atque in omnibus formetur Christus, id penitus in memoria insidat, Venerabiles Fratres, nihil omnino esse caritatem efficacius. Non enim in *commotione Dominus* (6). Allici animos ad Deum amariore quadam conatu, speratur perperam: quin etiam errores acerbius increpare, vitia vehementius reprehendere damno magis quam utilitati aliquando est. Timotheum quidem Apostolus hortabatur: *Argue, obsecra, increpa*; attamen addebat: *in omni patientia* (7). — Certe eiusmodi nobis exempla prodidit Christus. *Venite, sic ipsum alloquatum legimus, renite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam eos* (8). Laborantes autem oneratosque non alios intelligebat, nisi qui peccato vel errore tenebantur. Quanta enimvero in divino illo magistro mansuetudo! quae suavitatis, quae in aerumnos quoslibet miserationis! Cor eius plane pinxit Isaia iis verbis: *Ponam spiritum meum super eum; non contendet, neque clamabit; arundinem quassatam non confringet et lumen fumigans non extinguet* (9). Quae porro caritas, patiens et benigna (10) ad illos etiam porrigitur necesse est, qui sunt nobis infesti, vel nos inimici insectantur. *Maledicimur et benedicimus*, ita de se Paulus profitebatur, *persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus* (11). Peiores forte quam sunt videntur. Consuetudine enim aliorum, praejudicatis opinionibus, alienis consiliis et exemplis, malosuada dum verecundia in impiorum partem translati sunt: attamen eorum voluntas non adeo est depravata, sicut et ipsi putari gestiunt. Quidni speremus christiana caritatis flammam ab animis caliginem dispersuram atque allaturam simul Dei lumen et pacem? Tardabitur quandoque forsitan laboris nostri fructus; sed caritas sustentatione numquam defatigatur, memor non esse praemia a Deo proposita laborum fructibus, sed voluntati.

Attamen, Venerabiles Fratres, non ea Nobis mens est ut, in toto hoc opere tam arduo restitutio humana gentium in Christo, nullos vos clerique vester adiutores habeatis. Scimus mandasse Deum unicuique de proximo suo (12). Non igitur eos tantum, qui sacris se addixerunt, sed universos prorsus fidèles rationibus Dei et animorum adlaborare oportet: non marte utique quemque suo atque ingenio, verum semper Episcoporum ductu atque ntu; praesse namque, docere, moderari nemini in Ecclesia datur praeter quam vobis, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (13). — Catholicos homines, vario quidem consilio at semper religionis bono, coire inter se societatem, Decessores Nostri probavere iamdiu bonaque preicatione sanxerunt. Institutum porro

egregium Nos etiam laudatione Nostra ornare non dubitamus, optamusque vehementer ut urbibus agrisque late inferatur ac floreat. Verum enim vero consociationes eiusmodi eo primo ac potissimum spectare volumus, ut quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant. Parum profecto interest quaectiones multas subtiliter agitari, deque iuriis et officiis eloquenter disseri, ubi haec ab actione fuerint sciungata. Postulant enim actionem tempora; sed eam quae tota sit in divinis legibus atque Ecclesiae praescriptis sancte integre servandis in religione libere aperteque profitenda, in omnigenae demum caritatis operibus exercendis, nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu. Illustra eiusmodi tot Christi militum exempla longe magis valitura sunt ad comovendos animos rapidosque, quam verba exquisitaeque disceptationes; fietque facile ut, abiecto metu, depulsis praeiudicis ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum traducantur provehantque ubique notitiam eius et amorem; quae ad germanam solidamque beatitatem sunt via. Profecto si in urbibus, si in pagis quibusvis praecelta Dei tenebuntur fideli, si sacris erit honos, si frequens sacramentorum usus, si cetera custodientur quae ad christiana vitae rationem pertinent; nihil admodum, Venerabiles Fratres, elaborandum erit ulterius, ut omnia in Christo instaurentur. Neque haec solum caelestium bonorum prosequutionem spectare existimentur: iuvabunt etiam, quam quae maxime, ad huius aevi publicasque civitatum utilitates. His namque obtentis, optimates ac locupletes aequitate simul et caritate tenuioribus aderunt, hi vero afflictioris fortunae angustias sedate ac patienter ferent; cives non cupiditati sed legibus parrebunt; principes et quotquot rempublicam gerunt, quorum non est potestas nisi a Deo (1), vereri ac diligere sanctum erit. Quid plura? Tunc demum omnibus persuasum fuerit debere Ecclesiam, prout ab auctore Christo est condita, plena integraque libertate frui nec alienae dominationi subiici; Nosque, in hac ipsa libertate vindicanda, non religionis modo sanctissima tueri iura, verum etiam communis popolorum bono ac securitati prospicere. Scilicet *pietas ad omnia utilis est* (2): eaque incolumi ac vigente, sedet rebapscere populus in plenitudine pacis (3).

Deus, qui dices est in misericordia (4), hanc humanarum gentium in Christo Iesu instaurationem benignus, festinet; non enim *colentis opus negare currentis, sed miserentis est Dei* (5). Nos vero, Venerabiles Fratres, in spiritu humilitatis (6), quotidiana et instanti prece id ab Eo contendamus ob Iesu Christi merita. Utamur praeterea praesentissima Deiparae impetracione: cui concilianda Nobis, quoniam has litteras die ipsa damus, quae recolendo Mariali Rosario est instituta, quidquid Decessor Noster de Octobri mense Virgini augustae dicando edixit, publica per templam omnia eiusdem Rosarii recitatione. Nos pariter edicimus et confirmamus; monentes insuper ut deprecatores etiam adhibeantur castissimus Dei Matris Sponsus catholicae Ecclesiae patronus, sanctique Petrus et Paulus apostolorum principes.

Quae omnia ut rite eveniant et cuncta vobis pro desiderio fortunentur, divinarum gratiarum subsidia uberrime exoramus. Testem vero suavissimae caritatis, qua vos et universos fideles, quos Dei providentia Nobis commendatos voluit, complectimur, vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die iv Octobris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIVS PP. X.

(1) Rom., IX, 2. — (2) Thren., IV, 4. — (3) Luc., IV, 18-19.
— (4) Jud., II, 10. — (5) MATTH., XXVIII, 19. — (6) III Reg., XIX, 11. — (7) II Tim., IV, 2. — (8) MATTH., XI, 28. — (9) Is., XLII, 1, 8. — (10) I Cor., XIII, 4. — (11) Ibid., IV, 12, 8. — (12) Eccl., XVII, 12. — (13) Act., XX, 28.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

(1) Gal., IV, 19. — (2) Gal., IV. — (3) Gal., II, 20. — (4) Philipp., I, 21. — (5) Ephes., IV, 3. — (6) I Tim., V, 22. — (7) Ibid. — (8) I Tim., VI, 20, 8.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium uti supra miserit infra Ianuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

elget insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italianam ubique ad Libell. 7,50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, cœu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis pretium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi *gratis* Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.